



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Elisaeus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

Conferentia XCIX. Motus deliberati permissi an mortales ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

oriri, vel oriturum prævides motum delectationis inhonestæ; tunc si causa posita vel non ablata licita sit, vel venialiter tantum mala, & absit periculum consensûs, etiam motus illi liciti, aut venialiter tantum mali erunt; ut puta si exerceas talem actionem ob causam honestam, necessariam, utilem (studendo, confessiones audiendo, mendando partes genitales &c.) tunc motus illi excluso consensu directo, culpâ vacabunt. Aut si exerceas talem actionem ex curiositate, levitate, aut joco, & iterum absit periculum consensûs, motus illi venialem culpam non excedent. Excipe nisi actiones illæ secundum se & ex objecto essent valde turpes, & ad libidinem provocantes, seu notabiliter influentes in commotionem veneream: tunc enim sine justâ causâ eas exercere seu non desistere, mortale est secundum omnes: Si denique advertas periculum adesse proximum consentiendi in ipsum motum, vel opus turpe, & nihilominus pergis, vel non abrumpis actionem, censeris interpretativè omnino consentire in peccatum & peccare mortaliter, secundum omnes.

#### CONFERENTIA XCIX.

Motus deliberati permissi an mortales?

193. **R**ESOLUTIO. Motus deliberati pure permissi, sunt peccata mortalia, nisi voluntas saltem eliciat nollicitatem seu simplicem displicentiam, *Patrit. n. 14.* hic citans Sanch. & Laym.

Ratio est: quia voluntas si nullum omnino eliciat



eliciat actum contrarium motui circa objectum malum, deliberatè & perfectè propositum ac valde inclinans ad consensum illicitum, moraliter est exposita proximo periculo consensûs: ergo ad evadendum hoc periculum peccati mortalis, voluntas ad minimum debet habere actum contrarium nolletatis & aversionis à tali motu; qui licet inefficax sit ad reprimendum ipsum motum, est tamen efficax ad cohibendum, vel impediendum liberum voluntatis consensum, quippe cui directè opponitur. Sicque habito tali actu contrario nolletatis seu displicentiæ simplicis, voluntas non tenetur sub mortali positivè resistere illis motibus illicitis, sed potest eos permittere, tanquam insufficientes ad inclinandam voluntatem ad consensum, dummodò interea absit periculum pollutionis.

Dixi: *Voluntas non tenetur sub mortali positivè resistere*: quia si id facile possis, nec habeas justam causam eos permittendi (v. g. ab equitando desistere) peccatum veniale est, ut omnes fatentur: nullum autem peccatum tibi erit, si habeas justam causam tales motus permittendi cum aliis equitando. Quare consultissimum remedium suggerit Patrit. cit. n. 16. animum divertere ad alia objecta non mala, præsertim quæ te multum afficiant: quod ipsum erit indirectè positivè resistere, sanctum ac laudabile.

## CONFIDENTIA C.

De propositis & desideriis malis absolutis.

194. **R**ESOLUTIO. Proposita & desideria absoluta rei malæ sunt semper mala; ut si  
 Pars II. P pro